

cives vel suspectos, vel supervacuos & multitudine prægraves, quo cæteris laxior locus fiat, transcribendi in colonias, quamvis haud raro etiam volentibus civibus id fiat, dum lautiores conditiones in coloniis sperant, qui domi cum inopia conflictabantur, aut ipsi se ex oculis civitatis subtrahi gaudent, de quo vid. Puffendorff. *d. c. 11. §. 6.* add. de ejusmodi coloniis Tabor.

25 *d. contr. & jur. colon. §. 3.* Nec prætereunda hic est ejectio Maurorum ex Hispania facta, quam ob utilitatem publicam susceptam esse perhibeant, Vid. Horn. *Orb. polit. p. 1. c. 3. §. 2.*

26 Dn. Becmann. *Histor. Orb. terrar. geogr. & Civil. p. 2. c. 1. §. 4.* imo spectat etiam huc, de quo jam superiori capite actum, quod in Imperio nostro subditis in religione à Domino suo dissidentibus, qui anno 1624. religionis suæ exercitium non habuerunt, necessitas mutandi domicilium imponi possit, si quiete vivere nolint; sed variis turbationibus & seductionibus aliorum ansam præbeant; ubi tamen observandum, quod hoc casu subditis ad domicilii mutationem spatium quinquennii ad minimum relinquendum sit, si jam ante Pacificationem Osnabrugensem illi religioni addicti fuerint, triennii vero si post dictam Pacificationem religionem diversam amplexi sint, per expressum textum, *Instr. pac. art. 5. §. 37.*

27

Ex eadem causa utilitatis publicæ dependet, quod

28 Minister Ecclesiæ a Superiore ab una Ecclesia in aliam transferri & translocari possit; *c. pen. X. d. translat. Episcop. ibique Panormit. n. 5.* quod tunc præprimis obtinet, quando in alia Ecclesia plus proficere & plures animas Christo lucrari probabiliter posse præsumitur; Brunnem. *d. Jur. Eccles. l. 1. c. 5. §. 28.* quo casu etiam plane invitatus

30 transferri poterit; Tusch. *Pract. Conclus. lit. T. concl. 364.*
licet